



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Callistratus M. 27. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

602 VITÆ SANCTORUM. 27. Sept.
tate iidemque literati. Sed illi inanes dis-
putantium argutias exosus, thesin legi
jussit inexpectatam, Simeonis Eremicola
inquam visum, quo vix decimum quem-
que mortalium cælo afferendum affirma-
batur. Cohoruere ad hæc omnium ani-
mi tunc. At nostri philosophi Heracliti
omnes sunt, rident, nescio an tam felici-
ter decimandi. Ex Baron. tom. 10.

Si quem videris superbiatumidum, ha-
bitu splendidum & comitantium catervâ
reliquos prementem illi ne invideas, ne-
que perturberis, sed fortis ac temperant
es, & eum paulò post extinctum aspicias:
soli enim illi perpetuò florent, qui Deo
obtemperant voluntati. S. Ephr. in Vit.
rect. rat.

S. CALLISTRATUS M. 27. Septembri.

Spectavit Callistratus Car-
thaginensis miles in avo suo patien-
tem Christum. Inde est, quod magna
pati Christianum & ipse duxerit. Chri-
stianum verò se esse commilitonibus
tunc prodidit, cum inter preces assidus
pernoctavit. Debebat tam sanctas vigi-
lias in milite laudare Dux Persentinus &
militaribus donis ornare; sed ille plium
vigilem equuleo, verberibus & testa-
rum fragminibus laceravit; ita tamen,
ut interea omnia tormenta canere etiam
Callistrato adlubesceret. Atque
ut ne infacetè cecinisse putas, capti
modu-

27. Sept. VITÆ SANCTORUM. 603
modulis delphini gemini , cum culeo
insutis & undis mersus esset , tergo
Ariona suum exceperunt , & littori plau-
dentes reddiderunt. Eo miraculo per-
moti milites alii x l i x . cum Christo
nomen dedissent , vincti in mare præci-
pites acti sunt. Cum enatassent rectius
instruendi in novâ militiâ , denuò unâ
cum CALLISTRATO piscibus præda
abjecti sunt. Sed vicere iterum undas ,
& victoriam cælum gratulatum est , quan-
do coronam misit , quæ caput CALLI-
STRATI cingeret. Quid expectas ? in
carceres abrepti , cæsi omnes infru-
sta sunt. Et hoc nimirum fuit , quod
plebejâ morte defungi noluerunt. Juva-
bat non integros , sed artuatim Christo
perire. Nec poterant minutas exire am-
plia ostia , magna vulnera ingéentes &
militares anime quærebant. Ex Me-
taphr.

*Christus , omnibus vita , omnibus via ,
omnibus janua est. Perge quò curris , ut ap-
prehendas , in quo apprehensus es ; enite-
re per angustum viam , ut pervenias in
amplam possessionem hereditatis æternae.*
S. Paulin. epist. 31.

S. ELZEARIUS CONF. 27. Septembri.

D Uxit ELZEARIUS Gallus Comes
Dalphinam. Dos rari pretii fuit , vir-
ginitas , quam sacrosanctam uterque
per